



UNIVERSITÄTS-  
BIBLIOTHEK  
PADERBORN

## **Universitätsbibliothek Paderborn**

**De Vnica Religione, Stvdio Catholicorvm Principvm, In  
Repyblica Conservanda, Liber vnus**

**Lens, Jean de**

**Coloniae Agrippinae, 1579**

**VD16 L 1181**

Frustra haereticos praetexere peccata praefectorum, vt eis doceant  
obediendum non esse. Cap. VIII.

**urn:nbn:de:hbz:466:1-30005**



Cum igitur eosdē illos sublimiore præditos potestate Dei ministros appellet, qui eius in terris vice & autoritate fungantur, quid aliud significat, quam violationem horū constitutionis, cum Dei qui eos præfecit, offensione coniunctam: nec tam ministri quàm eius cui ministrant, iram pertimescendam esse? Posteaque concludens ostendit, quid principibus iure debeat: Reddite ergo (inquit) omnibus *Rom. 13.* debita: cui tributum, tributum, &c. Vnde perspicuè conuincitur, obedientiã, de qua prius loquutus ad hanc cõclusionem venerat, sublimioribus potestatibus deberi. Quod si debeat non humana solum persuasione, sed Apostolica plane sententia, quis dicere possit eius subtractionem culpa carere? Neque id negari potest, quin fiat vitiose quod fit contra Dei voluntatem. Hanc autem B. Petrus affirmat esse Dei voluntatem, vt præfectorum legibus dominorūque iussis pareatur. Id quod gentium Apostolus faciendum esse docet, non tantisper modò dum vident illi: sed omninò siue absint, siue præsentis operantium *Ephes. 5.* sedulitatem contemplantur. Atque is demum frugi famulus est, qui & absente domino nihilominus officium facit, tanquam Deo ipsi obtemperans: à quo mercedē est obedientiæ suæ laborisq; recepturus.

*Frustra hæreticos prætexere peccata præfectorum  
vt eis doceant obediendum non esse.*

## CAPVT VIII.

**Q**uidam autem hæretici ingressi semel præcipitem inobedientiæ viam, hanc  
**D** etiam



etiam rebellandi disciplinam excogitauerunt: vt dicerent eos qui præsumunt, simulatque in crimen quodpiam incidissent, amittere præfecturam & ius imperandi. Expedita prorsus ratio excutiendi iugum omne sublimioris potestatis. Quàm enim facilè vel labuntur principes in crimina, vel in ea lapsi finguntur aut creduntur? An erit princeps quisquam qui doctrinam hanc æquis auribus excipiat? qui nouam eiusmodi professorum religionem admittendam suum in regnum putet? Quod si facit, ne cuiusquam impediat in religionis delectu libertatem: profecto caueat, ne quo in crimine deprehendatur, deprehensus enim conuinceretur excidisse potestate. Quid ni verò? cum sic se habeant scita Ioannis VViclef & Ioannis Hus, patrum nostræ ætatis sectariorum? Nullus (inquiunt) est dominus ciuilis: nullus est prælatus in statu peccati mortalis. Quem articulum cum alijs multis, à concilio œcumenico Constantiensi meritò legimus esse dānatum. Quod enim hoc portentum nouæ doctrinæ? Cur ea potestas excidat mortali peccato, quæ non ex eo genere rerum est, quæ hominem reddunt possessæ meliorem? cur non & ipsa vnà deperit regendi scientia? cur non & alia pereunt quædam viciniore virtuti? velut agnitio Dei vnus, temperantia, fides coniugalitatis, & complura eiusmodi? Dæmones coercendi, aliæque faciendi miracula potestatem & mali habuerunt, quibus in extremo iudicio dicetur: Nescio vos: discedite à me operarij ini-

Luca 13.



rij iniquitatis; & homines regendi atque imperandi potestatem habere mali non poterunt? Quid loquitur simile sanctorum obedientia? patriarcha Iacob, auunculo Laban: Ioseph, Pharaoni: Daniel, Nabuchodonosori: Mardocheus, Assuero: quorum nullus non impius erat, seruiendum parendumque sibi esse iudicauit. Iuliano imperatori apostatae crudelissimo, quum aciem produci iussisset ad Reipub. defensionem, miles etiam Christianus obediuit. Vir enim iustus (inquit Augustinus) constitutus sub rege sacrilego, *Lib. 22.* potest & debet, illo iubente, bellare: ciuicæ *contra Fas-* pacis ordinem seruans, cui quod iubetur *sum. c. 75.* vel non esse contra Dei præceptum certum est, vel vtrum sit certum non est: ita vt fortasse reum faciat regem iniquitas imperandi, innocentem verò militem ostendat ordo seruiendi. Denique non alij quàm impij Rempub. administrabant cum diceret Apostolus: *Rom. 13.* Omnem animam sublimioribus potestatibus subditam esse debere, nō modo propter iram, verūm etiā propter conscientiam. Nec dubitauit illos ipsos qui tum præerant, Dei ministros appellare: quod non fecisset, si potestas ea per quā Dei ministri sunt, ab innocentia vitæ & iustitia nō posset esse disiuncta. Et est quidem scriptum apud Xenophontem verissimè, nihil magis in Imperatore desiderari, quàm vt eum sui reliquis sapientiores existiment: magnæq; omnino & singulari prudentia præditum esse illum oportet, cuius sit hominū societatem, ex mira ingeniorum va-  
 D 2 rietate



rietate conflatam, continere ac regere. Verum tamé aliud est potestas ipsa qua eminent, aliud virtus prudentiaq; principe digna. Quorum vtrumq; sine altero tamen esse potest, ac sæpè etiam reperitur: tamen neque potestas sine prudentiæ decore, neque tanta prudentia sine merito quodam potestatis obtinetur. Sed vt corpus sine animâ esse potest, sic & sine prudentia ac virtute principatus. Atque vt circulus aureus non propterea non est in naribus suis, quod ijs non satis aptè videatur infixus: ita non propterea seculari quisquam potestate nudatur, quod ea per stultitiæ vitium reddatur indignus. Quoniam igitur & in pessimis moribus ea potestas Dei munere reperitur, est illic quoque honoranda, non ijs tantum officijs, quæ peculiariter ad venerationem referuntur, verùm etiam obediendi fide ac sedulitate. Quemadmodum & B. Petrus huius sui muneris seruos commonefaciens dicit: Serui subditi estote in omni timore dominis, non tantum bonis & modestis, sed etiam discolis. Idcirco beatus Prosper: Sæpè (inquit) in hoc seculo peccatores mundanam potentiam consequuntur; cum & ipsi sint iniqui, publicarum tamen legum sunt ministri: quorum potestas fidelibus honoranda est, propter vtilitatem dispositæ disciplinæ. Sed si in id prorumpant, vt iustos veri Dei cultu conentur auertere, nulla eis obedientia, nulla præbenda consensio. Hæc ille ad versiculum Psalmi 124. Quia non relinquet Dominus virgam peccatorum super sortem

1. Petri 2.



tem iustorum. At est (inquis) ab Osee Prophe-  
 ta scriptum de malis regibus: Regnauerunt, *Cap. 8.*  
 & non ex me: principes extiterunt, & non co-  
 gnoui. Verùm ea verba minimè reges illos,  
 de quibus intelligenda sunt, regia spoliant  
 authoritate. Saulem enim regem, cuius aspe-  
 rum in subiectos imperium, & à quo scelera-  
 tè multa in regno gesta leguntur, quis neget  
 imperandi ius habuisse, quum eum Deus ipse  
 ad regni honorem prouexerit, vngitq; iusse-  
 rit in regem? Sed & impium Hieroboam,  
 vitulorum cultum in populo sua authorita-  
 te retinentem, distracto in duas partes Isra-  
 helitarum regno, decem tribubus præesse vo-  
 luit, regniq; habere successores. Roboam  
 certè Salomoni in throno regio hæreditario  
 iure succedentem, nemo diciturus est regiam  
 non habuisse potestatem: & tamen eius illa  
 vox ad pupulum crudelitatis ac tyrannidis  
 plena fuit: Pater meus cæcidit vos flagellis, *3. Reg. 12.*  
 ego autem cædam vos scorpionibus. Non  
 igitur illi imperandi potestate & iure carue-  
 runt etiam diuinitus instituto, tametsi hoc  
 ad subditorum iniurias conuerteret: sic Deo  
 videlicet populi scelera vlciscente, qui tales  
 habere reges merebatur. Nam quemadmo-  
 dum propter peccata terræ, multi principes  
 eius vt longæui non sint, maximè qui benè  
 moderantur, sed ijs celeriter sublatis, alij alij-  
 que succedant: ita principum aut auaritiam *Prouer. 18.*  
 capacem, aut crudelitatem sæuientem, aut  
 certè insignem in curandis Reipublicæ com-  
 modis socordiam, suorum scelerum meritis



*Cap. 1.**Lib. 1. epistoliarum  
epistola 3.*

populi sibi frequenter accersunt. Atque huc arbitror spectare Osee locum: vt non regia potestatis detractionem ob scelera, sed populi reprehensionem contineat: cuius malis meritis & votis comparatum est, vt haberent Reges, cum antea ab Iudicibus sub rege Deo moderatissimè gubernarentur. Vnde beatus Cyprianus legit: Sibimetipsi regem constituerunt, & non per me. Dominus quippe omnium, Deus (qua est erga homines benignitate) regnandi ius illud asperius ac durius non ex sese suaque voluntate tanquam vltrotroneus & primus introduxit: sed ad id concedendum instituendumque, improbis hominum efflagitationibus cessit iratus. Itaque & regnandi ab eo acceperunt illi potestatem, & tamen non ex Dei voluntate regnasse dicuntur; quòd ab eo primùm profecta non sit istiusmodi praefectura ratio: sed ab hominibus superbis, Deoque diffidentibus prius vehementer expetita, post ab indignante & irato Deo tributa. Quomodo mortem dicitur non fecisse; & ipse tamen est qui mortificat & viuificat, deducit ad inferos & reducit. Ab ipso est enim vita & mors. Verùm mortem in natura hominum non instituit primus. Neque enim homines ita primùm condidit, vt mori esset necesse: sed quam sibi homines ipsi peccati merito accersierunt moriendi necessitatem, eam sequutus ille tanquam peccati vindex inflixit. Hinc igitur & illa sunt apud eundem Osee prophetam, illam ipsam quam notauimus

populi



populi obiurgationem significantia: Perditio tua Iſrahel ex te: ſcilicet primam originem ducit. *Cap. 13.* Neque enim Deus, niſi prouocatus & quaſi coactus, populum Iſraheliticum hoſtibus immiſſis perdidiffet. Tantummodo (inquit) in me auxilium tuum. Nam ubi eſt rex tuus? cuius videlicet in regio ac triumphali apparatu ſpem collocaueras? cuius te virtute ac præſidio ſemper inuictum fore ſperaueras? maximè nunc ſaluet te in omnibus urbibus tuis: & iudices tui, de quibus dixiſti: Da mihi reges ac principes? Dabo tibi regem in furore meo, & auferam in indignatione mea. *1. Reg. 8.* Tameſi igitur ad iram Dei iuſtiſſimam quorundam regum noxia imperia pertineant, tamen & talibus (qualis verbi gratia Nero fuiſſe perhibetur: in quo tantam ferunt extitiſſe luxuriam, vt nihil ab eo putaretur virile metuendum: tantam crudelitatem, vt nihil molle habere crederetur ſi neſciretur) & iſtiusmodi ergo hominibus ſumma Dei prouidentia, dominandi tribui poteſtatem, quando res humanas iudicat talibus dominis dignas, aperta Sapientiæ voce declaratum eſt, cum ait: Per me leges regnant, & legum conditores iuſta decernunt. *Prover. 8.* Aut ſi hoc ita potius intelligendū eſt, vt per ſapientiam dictum ſit reges regnare, id eſt, regnum iuſtè, fortiter, prudenterq; administrare: propterea quod & proximè antecedit ab eadem Sapientia dictum: Meum eſt conſiliū & æquitas: mea eſt prudentia: mea eſt fortitudo; & ſequatur per eam ipſam ſapientiam legum  
 D 4 condi.

*Ibidem.*



*In pasto-  
rali.*

conditores iusta decernere: tum per facile est, ut eos qui vitijs contrarijs Rempublicam labefactent, intelligamus ex Deo non regnare: non quod ijs imperandi nulla insit potestas, propter quam iure meritoq; honorentur: sed quod eorum administratio, ratioq; regendi à sapientiæ consilijs aliena, non ex Deo, neq; ex charitate subditis consulendi, sed ex dominandi libidine oriatur. Ex se (inquit B. Gregorius) non ex arbitrio rectoris regnât, qui nullis fulti virtutibus, nequaquã diuinitus vocati, sed sua cupidine accensi, culmen regiminis rapiunt potius, quàm assequuntur. Quos tamen internus iudex & prouehit, & non cognoscit: quia quos permittendo tolerat, profectò per iudicium reprobationis ignorat. Et hactenus quidem ostendimus frustra prætexi ab hæreticis crimina principum, cum eis non libuerit obedire: constitutumque est hoc esse Reipublicæ stabilimentum, si cordatè, si sincerè obtèperetur superioribus, siue boni sint ij, siue mali. Id quod præstare subditis vera quidem religio solet: falsa verò & adulterina suffurari.

*Iuxta scripturas sanctas hoc esse debere studium principum Christianorũ, vt vnica in Republica, eaq; Catholica Romana religio obtineat.*

## CAPVT IX.

**P**Osteaquam ostendimus ex ijs rebus, sine quibus aut nulla respublica, aut certè stabilis non est, vnicam in ea religionem, eamq; præcipuè Catholicam & Romanam, cæteris omnibus repudiatis, & quoad fieri potest, nullum